



*Imperialis Altitudo*  
*Caesars Augusti Imperatoris*  
*Altitudo*

*at Berlin Summum et vrb. Anst.*

906



Her 906

ORSZ. SZÉCHÉNYI-KÖNYVTÁR  
M. Helyettesítő  
M. Helyettesítő  
M. Helyettesítő

GABRIELIS KOLINOVICS  
SENQUICZIENSIS  
CHRONICON  
MILITARIS ORDINIS EQUITUM  
TEMPLARIORUM

E

BULLIS PAPALIBUS, DIPLOMATIBUS  
REGIIS, CETERISQUE INSTRUMENTIS  
PUBLICIS, TUM COAEVIS, ALIIS-  
VE PROBATISSIMIS SCRIPTORIBUS  
COLLECTUM.

NUNC

*primum ex autographo desumpsit; notis illustravit; de Patria, Vita, Fatis & Scriptis Autoris commentatus est; ejusque, & Templarii Icones aeri incisas praefixit; Seriem Magnorum Magistrorum, Bullam Clementis V. & Puncta Inquisitionis in Templarios, ac denique Seriem Ordinum Religiosorum & Equestrium olim florentium, qui jam desierunt, Appendicis loco adjecit junctimque*

EDIDIT

MARTINUS GEORGIUS KOVACHICH  
SENQUICZIENSIS

AA. LL. & Philosophiae Doctor, ad Excelsum Consilium  
Regium Locumtenentiale Ungaricum ab Indicibus rerum  
gestarum Sacrae Tabularii.

---

PESTINI, LISTERII TRATTNERIANIS.

## PIAE MEMORIAE

EXCELLENTISSIMI, AC ILLUSTRISSIMI COMITIS ANTONII JANKOVICS DE DARUVÁR, INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI COMMENDATORIS, S. C. R. ET APOST. MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI STATUS CONSILIARI, INCLYTI COMITATUS SYRMIENSIS SUPREMI COMITIS, PER INCLYTUM REGNUM HUNGARIAE TAVERNICORUM REGALIUM MAGISTRI, ET EXCELSAE TABULAE SEPTENVIRALIS AULICAE PRAESIDIS.

**V**IRTUTES ubique aestimandas, atque illis duntaxat conjunctam liberaliorem fortunam colendam esse ratus, ideoque viros, quibus illustrior aliqua persona in hoc Reipublicae theatro agenda obtigit, diligentius observare, & si quorum virtutibus dignitas ornata est, hos citra ullum etiam erga me privatum eorum meritum, pro re nata celebrare solitus, aetate ac loco, quibus, mediocri licet fortunae munere fruor nihil delectabilius me haecenus sensisse profiteor, quam summos quosque Viros populares meos propius esse, hosque inter complures tam



praeclaris virtutibus, tam illustribus meritis fulgentes videre, ut illis ad magnitudinem nihil, praeter posteritatis famam conciliare oporteat. Egi hoc pro tenuitate virium meorum, nobilissimae Gentis Hungaricae gloriae studiosissimus haecenus, ut illustrium ex ea Virorum memoriam, qua aere, qua scriptis consignatam, ad posteros fideliter transmitterem, neque deinceps ab illustranda Patriae gloria desistam, quamdiu ejusdem aura frui licuerit; quis enim sublimiore virtute suorum concivium non gaudeat, quis gloriari prohibeatur, nisi ab ea degener ipse sit?

Ceteros inter illustres Patriae nostrae Cives, qui me haecenus inferiore licet loco a fortuna positum penitiorae personae suae notitia dignati sunt, Comitum Antonium Jankovich jam dudum non sine veneratione suspiciebam, postquam nimirum famae publicae, multiplices virtutes ejus celebrantis veracitatem, honesto praetextu, plus vice simplici conspectum illius subiens ipse deprehendi; ut enim quod sentio libere fatear, minime tum famae fidendum est, quum divites, potentes, felicesque celebrat, nisi opis eorum, patrociniique haud cupidus, non natalium, fortunaeque munera, quae ignovissimis quibusque obtingere possunt, & ab habetibus pro virtute accipi, ab assentatoribus celebrari solent, caecus venereris sed virtutum ipsarum dotes, fructusque ipse observes, expendasque.

→ \* ←

Comiti Antonio Jankovich cuncta obtigerunt plena mensura, quae homo a natura, fortuna & virtute consequi potest. Natus Quinqueecclesiis anno 1728. atque liberaliter educatus, litterisque probe exultus domesticae primum, tum socialis vitae civilis fundamenta posuit, quibus innixus non aconomus duntaxat & pater familias prudens, verum civis etiam probus ac utilis & minister gerendis gravissimis negotiis in Republica idoneus aliquando evaderet, eoque gradatim conscenderet, ubi virtutes ejus exemplo pro norma servituro spectarentur. Advertit has Jos. Ant. Chiolnich de Chiolka Episcopus Discovariensis ut erat acri perspicacia praeditus, atque Antonium nostrum, ut illi futurae fortunae fundamentum poneret, an 1754. Fiscalem Comitatus Veröczenis esse voluit, mox anno 1756. Posegani Comitatus Notarium, biennio post an. 1758. ibidem in Vice-Comitem electum. Quanta rerum gerendarum notitia triplici hoc munere comparari possit, restantur hodieum praestantissimorum Virorum exempla, qui ex eadem hac schola in publicum prodierunt, atque gravissima negotia summa cum laude inter nos gerunt. Antonius Jankovich publicis negotiis jam poene totus deditus, ne domestica penitus negligeret Catharinam Alexandri Kiss de Nemes-Kér, & Sophiae Daroczy filiam Virginem lectissimam in vi-

→ \* ←

tae perpetuam sociam matrimonio sibi junxit, cui partem curae domesticae concrederet; susceperat equidum ex hac filium, sed qui septennis dein mortuus parentes maestos reliquit absque solatio haeredum conjunctissime dehinc dum Antonii morte separarentur convicturos. Anno 1767. erectum est pro Regnis Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae promovendis politicis negotiis peculiare Dicasterium sub nomine Consilii Regii Croatici, in quo Antonius Jankovich ceteros inter Consiliarius denominatus, Commissioni piarum foundationum adlectus est, & cum rara aecconomiae cognitione polleret, commissa quoque illi morum & serici culturae inspectio fuerat, quam cum Carolo Solenghi nostris in regionibus inductam insigniter promovit, vel hoc uno nomine posteritatis, ad quam in se perpetua dimanabunt emolumenta, memoria dignissimus. Cum vero negotium isthoc maximi momenti adhuc in principiis quotidianam in loco ipso deposceret ejus praesentiam, sed & in Comitatu Posvegano multa essent, quae meliorem ordinem expectabant, visum est Augustae Antonium Jankovich munere Consilii Croatici relevare, ac dignitatis supremi Comitatus Comitatus Posvegani qua se Jos. Chiolnich illius gratia sponte 1770. abdicaverat, Administratorem constituere, quo in officio quae, quantaque gesserit, haud quaquam intra angustos harum pagellarum terminos commemorari possunt. Ita crescentibus ejus

meritis, atque vel ipso tacente praemia postulentibus anno 1772. die 28. Octobris expedito Diplomate Comitum Hungariae numero adlectus & an. 1775. die 30. Jan. Supremus Comes Comitatus Possegani renunciatus est. Dehinc caepit ad Commissiones in negotiis gravissimis nomine Regis exmitti, quarum memorabiliores duntaxat paucis indicare juvat Anno 1778. Natio Illyrica ritus Orientalis Ecclesiasticam synodum celebratura erat, cui Comes Antonius Jankovich vices auctoritatis Regiae gesturus interesse iussus est; confectum in illa pro eadem natione novam *Regulam* in Annalibus ejus Ecclesiae perpetuam retinebit memoriam. Tam praeclearo dexterritatis specimine hic edito, cum anno 1781. eadem natio pro eligendo Metropolita in synodum cogeretur, huic iterum decreto Regio die 8. Aprilis expedito praesse iussus est, in qua itidem Regiam auctoritatem egregie sustinuit, itaque „ ex reflexione utilium & fidelium servitorum suorum, quae in compluribus occasionibus, signanter qua Commissarius Regius exmissus *Augustae Domus* praestitit, in praemium meritorum suorum Actualis Intimi Status Consiliarit dignitate “ ornatus est die 7. Dec. eodem anno 1781. Comitatus Posseganus merita illius aeternis testabitur Monumentis, ibi enim Domus haecenus temere dispersas in arctiorem nexum & com-



munitatem collegit atque contraxit, vitaeque sociali maximo cum securitatis incremento consuluit, Vias Austriacis supparem duxit, ac universam Provinciam civiliioribus aedificiis ornavit. Templum Daruvarini ab illo magnifice erectum pietatem ejus perpetuo testabitur, sed & Thermae Lipnikenses ac Daruvarienses viui commo- doque Civium ac advenarum adaptatae, merita illius loquentur; Daruvarienses quidem vel a lapide inibi cum Epigraphe: DIVO COMMODO RESP. JAZURU reperto memo- rabiles sunt. Juris peritissimus, ac Justitiae amantissimus anno 1780. Diplomate Regio Assessor & Cojudex Tabulae Septemviralis, Supremi jam tum apud nos Tribunalis, denominatus est. Sequenti 1783. natio Illyrica rursus eligendis Episcopis Aradiensi & Bacsiensi celebrabat Synodum, ad quam Com. Ant. Jankovich Decreto die 9. Se- ptembris. expedito Commissarius Regius exmissus erat, unde vix redux in eodem caractere missus est anno 1784. ad Bana- tum Temessensem continuaturus regulatio- nem a Comite Christoph. Niczky affectam, sed vix & istis superatis, cum in eadem vi- cinia, tum & Transylvania inquieti Valachi tumultuarentur, cum Generale de Papilla Decreto Regio ad eos componendos de- stinatus munere suo dexterrime functus est, ubi contracto tot laboribus gravissimo mor- bo parum aberat, quia vitam poneret, sed

Patriæ bono servatus inde, maximo sui desiderio apud universos relicto redux anno 1785. die 11. Augusti Thesaurarius Regius & paulo post Insignis Ord. S. Stephani Regis Apostolici Commendator denominatus est. Cum vero in Comitibus mutatio quaedam interveniret, dignitate Supremi Comitis Comitatus Posegani, quam hæcenus gerebat in alterum translata, ipsi Comitatus Syrmienensis obtigit. Anno demum 1787. cumulatissimis ejus virtutibus ac meritis ita ferentibus Praeses Tabulae Septemviralis & Tavernicorum Regalium Magister renunciatus Inter Barones Regni relictus est. Praesidis quidem Tabulae Septemviralis Dignitas in eo primum coepit initium, qua immortalis nominis sui gloria usque diem 16ta Augusti anni hujus 1789. defunctus est, post acerbissimos dolores quatuor hebdomades incredibili constantis viri patientia perpeffos rebus familiae probe dispositis, ex rite Ecclesiae sacramentis provisus, & ad aeternitatem probe comparatus post horam sextam vespertinam plentissime, ut vixit, obiit cum ingenti concivium suorum moerore, qui frustra vitam ejus prolongari communibus votis optabamus. Corpus ejus exanime moesta vidua Csepreghini Oppido haereditario, velut sibi pro sede viduali delecto sepeliendum, die 18. Buda devchendum curavit.

Reliquit unicum fratrem Carnalem & uererinum, juniorem se Joannem Jankovich olim in Regimine Nadasdiano Equitum Hungaricorum Capitaneum septennali praesertim bello Borussico de Augusta Aula & Patria praeclare meritum, dein Comitatus Pofegani Vice-Comitem S. C. & R. A. Majestatis Consiliarium filio, filiaque legitimis haeredibus provisum.

Facultates, quas titulo haereditatis tenues adeptus est, amplissimis accessionibus ita auxit, ut illi pauci pares esse reputarentur, & tamen iis augendis nunquam vel iniqua media adhibuit, vel artibus illicitis, tanto vero magis prudentia usus est, poene omnia emptionis, jure obrinuit reliqua, industriae suae, prudentique aeconomiae tribuenda habebat, hinc ab impetitionibus & litibus liber, secure suis fruebatur, quod in magnis aquisitoribus perrarum est, nunquam ullius vox audita est, qui se vel technis, vel potentia illius oppressum esse quereretur, at ne in contractibus quidem ab eo sibi injuriam illatam esse dicere potest aliquis; quin imo complures magnitudinem animi illius & bonam fidem laudibus celebrant, Quam capax ingenium Viro fuisse existimabimus, qui penes tanta negotia Republicae causa suscepta rei familiaris tam abunde consuluit?

Sed haec omnia fluxa duntaxat Bona sunt, quae plus faventis fortunae dona, quam

virtutis munera esse videri possent, quaeve omnia, postquam iis iusta unius hominis aetate temperantissime fruius est, in hoc seculo reliquit, longe vero maiores illi virtutes, animique dotes inerant, quarum hic exemplari duntaxat relicto secum universas ad meliorem vitam transtulit. Juvat earum consideratione naerorem ex obitu illius contractum tantillum leniri, licet ita desiderium, quod sui nobis migraturus reliquit, augeri debeat.

Incomparabilis comitas gravitati, mansuetudo dignitati convenientissime juncta vel innata illi, vel ex prototypo CAESARIS AUGUSTI, qui eani e coelo pro Magnatibus evocasse credi potest, ad animum defuncta esse videbatur. Amor & aestimatio litterarum indicium fuisset luculentum latentis eruditionis, prudentiae, sapientiae, nisi haec ex actis & operibus ejus longe apertius adhuc eluxissent. Quies in affectibus, malacia in vultu, quasi amplissimae fortunae ignarus fuisset, insignem animo fortitudinem inesse testabantur, qua stateram aequitatis ita immobillem tenebat, ut, etiamsi ad id evocatus non fuisset, dignus tamen haberi potuerit, qui summus Iustitiae sacerdos fieret. Fides in Principem ita casta, caritas in Patriam ita sincera illi erat, ut illius nuru, hujus commodis propria promte postponeret, imo sponte consecraret. Quid in laudissima fortuna raram ejus temperan-



tiam alioquin omnibus notam de praedice; imo & reliquis virtutes, quibus cumulatissime praeditus fuerat, licet nomina earum percensere possim, quod magnitudinem earum verbis idoneis exprimere me posse disfidam, silentio praeterire malo; nec enim abesse possunt, ubi istae adsunt. Atque illis credo delatas esse amplissimas dignitates, ad quas evectus erat, non quod eas cupidus quaesivisset, quarum utilitatis causa minime indigus fuerat, sed quod ulro oblatas probus Reipublicae civis sine ambitione acceptasset.

Non ejus duntaxat causa ista commemoro, neque per vilem adsentationem depromo, dum nec illum beatiore vita fruente amplius juvant, neque mihi commodum aliquod pollicentur, qui ne viventis quidem beneficio aliquando affectus, grati animi debitor essem. Posteritatis gratia, quae Majorum exemplis uti solet, id ago, ut quanti virtutes illius jam aetas nostra fecerit, quantis meritis plenus nos reliquerit, testis tum etiam idoneus essem, cum aliquando vivis feliciores reputabimur, qui illi convivimus. Quantis in amoribus nobis fuerit, ex communi compassione, dum aegrotabat, moerore, cum obiisset, non est metiri difficile.

Talis cum esset Comes Antonius Jankovich, illustribus illius virtutibus ac meritis perenne aliquod monumentum meis im-

penis ponere tum jam constitueram, dum ea penitus nosse coepi, sed cum ad ejusmodi moles propriis viribus lapides revolvendo, difficillimis temporibus omni alieno subsidio in arena desliturus, haftenus prope defecerim, Gabrielem Kolinovich amicum quondam & popularem meum, quasi a mortuis revocatum in auxilium accivi, ut juncta utriusque nostrum industria opus aliquod exurgeret, quod dignum esset Comitis Antonii Jankovich illustri nomine consecrari. Et sane inter illa opera litteraria, quae partim sub calamo, partim jam sub prelo mihi sunt, hac prima *Chronici Templariorum* ita, ut est a me adornata editione, sive auctores illius, seu argumentum undecunque spectetur, nullum convenientius esse judicavi, quod illius nomine insigniretur.

Verustiore originem nostram uterque ad gentem antiquissimam, nobilissimam & celeberrimam referimus, ex qua post invictos heroes plurimos, vel ipsi vicinae Graeciae, Romaeque invidendos, etiam Jankovichios, Skerleczios, Szechenios, Bedekovichios, quin & Kerchelichios, Lakicfios, Blaskovichios aliosque non paucos utriusque Ordinis Viros aetate adhuc nostra pacis artibus natos esse gloriamur. Ex eadem ortus, sed adverbiae fortunae tempestate patriis sedibus ejectus est, in tertium jam seculum post migrationem, amicae gentis in patria non penitus adhuc

ab origine degener, exilis licet populi Senquicziensis manipulus, cujus e gremio complures Viri orti, non obstante sortis tenuitate, si non ad fortunae splendorem, ad eam tamen nominis celebritatem sola virtute eluctari sunt, ut in asserenda seculo & genti utrique cultura inter idoneos reses jam ab aliis producti sint. Hunc in limine, tum Kolinovichium ipsum, qualis erat, gemina in serie sisto, nec dubitandum est ex argumento *Commentationis* meae, jure quodam vicinitaris eam a me Comitibus Antonii Jankovich piis manibus dicari.

*Chronicon* deinde celeberrimi *Ordinis Equestris Templariorum* cum *Appendicibus* affinis argumenti illi omnino decebat inscribi, qui *Ordinis* itidem *Equestris* altioris gradus *Insignis* in *Publicum meritorium praemium* ornatus erat; *Inquisitio* quidem illi subjuncta cujus judicio deferri potuisset convenientius, quam illi, qui sapientia, justitiaque praeditus supremo praesidebat *Tribunali* at quod sanguinaria esset causa, ante sententiam decessit!

Atque hinc liquido patet, quibus motivis inductus, quibus titulis hocce qualecunque monumentum honori virtutum, meritorumque Comitibus Antonii Jankovich erexerim, inscripserim, consecraverim; quod si magnitudini eorum conforme non sit, certe neque meae de illo exultationi adhuc suppar, sed modulo solum virium mearum adaequatum aequus quisque sen-

riet; at non ideo tamen memoriae illius ad posteritatem transmittendae minus idoneum: omnis omnino dignitas, potentia, authoritas, divitiae & gloria, quarum homines capaces sunt, unius vitae definiuntur termino, ac ne virtus quidem immortalis sui memoriam relinquat, nisi haec litteris consignetur. Heroes belli Trojani non tam factis suis, quam Homero sui apud posteros memoriam in acceptis debent, sine quo ne nomina quidem eorum superessent, cui quidem ego me minime comparare, sed id solum hic inuere volui, litteris praecipuum honorem descendum esse, a quibus etiam post fata unice expectandus est, nunquam vero ignavis tribuendus.

Restat nunc, ut Lectorum gratia rationes in medium proferam, quibus in Operis structura uterque Architectus usi sumus.

Commentationis Sect. I. Historiam Senquicentii paulo uberius deduxi, quam unius pagi dignitas exposcere videri possit, nec distineor minutiora quaedam producta esse, in quibus Lector tantum momenti haud deprehensurus est, ut litteris consignanda fuisse existimet, sed haec, atque exillora etiam de hoc ipso loco, jam ab aliis sparsim vulgata sunt, si itaque ego, talia collegi, & meis aucta edidi, spero facilem veniam, qui pietatis affectu locum natalem meum intra veritatis limites orare studui, fortassis haec ipsa pluribus lectu haud laetanda erunt,



10

qui locorum gentiumque genium, & vitissitudines temporum penitus expendunt. Vetus adagium est: *Spartam, quam nactus es orna*, si quis eadem industria, vel exemplo Penates suos excoluerit, tantum abest, ut improbem, ut gaudeam quin imo, his quoque subsidiis Patriae notitiam auget. Pro Biographia Gabr. Kolinovics seges uberima Sect. II. obtigit, ut nonnisi actorum selectu, nulla emphasi opus fuerit: erga quam si affectum non celavi, pietati adscribendus est, qua memoriam illius multis titulis prosequor. Operum illius amplissimam recensionem eruditis saltem popularibus nostris minime ingratis esse futuram, persusum omnino habeo. Commentationem ipsam Chronico praefigendam esse censeo, quod de se breve additamenta hujusmodi patiat, & cum illud primum sit, cujus editionem e M. SS. Kolinovicisii adornavi, quorum plura successive pari studio in lucem protrahere neditor, operae pretium me facturum esse existimabam, si autorem praevie Lectoribus notum redderem, cujus memoriam sola traditio nec tam incorruptam conservaret, neque tam late extenderet.

Voces latinas praeter morem classicorum in Ungaria usitatas & ipse frequentius adhibui, vitandae obscuritatis causa, quis enim intellecturus erat, *Comitatum, Districtum, Juratum Assessorem si Congregationem Generalem vel particularem, sedem restauratoriam*

vatoriam, Judiciale, Dominalem, Pro-  
tocollem & his similia verbis ab autoribus  
classicis mutatis compellasse? Quod in  
Stylo Latino delicatioris improbare possent,  
id quidem, si non inficiari, excusare tamen  
probabili possum argumento, quod Germa-  
nico diutius insueverim; jam dudum Scholam  
Curia, Bibliothecam Archivo sorte ita ferente  
permutaverim, ubi non incorruptae Latini-  
tatis authoribus, sed sequioris aetatis scriptis  
evolvendis, vi muneris quotidie incumbo,  
& si quid purioris Latinitatis e scholis attulis-  
sem, horum consuetudine corrumpere, ac  
vitii aliquid contrahere, vel invitus porue-  
rim, quin debuerim, etiam, usu forensi ita  
poscente.

De Kolinovicio praeter id, quod in  
ejus vita, & imprimis in recensione Ope-  
rum, in medium protuli, nihil, quod di-  
cam habeo. Meum erat Historicum dun-  
taxat a partium studio vacuum agere, ju-  
diciam Lectoribus relinquere, quos omnino  
data opera, attentos requirit; si cui, nulla  
habita ejus interpunctionum ratione per-  
functorie solum legenti, aut obscurus, aut  
horridus videretur, id quidem non illius  
vitio eveniet, erat enim scriptor qui ver-  
bis citra delectum minime usus est, ac no-  
situm quidem temere assignavit; ac singu-  
lis verbis, phrasibusque ab eo adhibitis in-  
esse aliquid, illi tantum Lectorum adven-  
tent, qui oblectum a cortice probe dilcer-  
unt.



nerē studuerint. Stylus ipse alioquin e solo Chronico, cujus naturā peculiārem sibi possit, iure adhuc definitū nequit.

Consilium edendi hujus Operis eo cumprimis motivo suscepti, quod Autores aut nulli, aut perpauci ac jejuni sint, qui hoc argumentum professā opera latinis literis ex integro consignassent, ac ideo complures popularium nostrorum de Templariis exoticas, & a vero alienas opiniones foveant, nam Galli, Germanique hujusmodi lucubrationibus abundant, vix tamen in sententiis firmiores sunt. Chronicon isthoc breve quidem, sed quod gesta, facta, eventusque praecipuos, tempora item, loca & personas rite consignet, sufficiens omnino ad formandam rectam ideam, qualem de Templariis, eorumque excidio habere oportet. Dirus cum iis agendi modus, quo innocentissimus quis, que crudelis Torturae victima hodieque caderet, blanditiae ex opposito, technaeque ministeriales, non prodigiola Equitibus afflata scelera Ordini exitum dedere, divitiae acceleravere, in quod ut sacri civilisque potestas consentirent, haeresim etiam militibus indoctis quorum vel superiores ne literarum quidem gnari erant, plerique vero pro Religione mortem obierunt, tribuere oportebat, ut adeo haec jam tum in obscuro posita spem omnem posteris ademerint, interram Ordinis Constitutionem, veras exitii causas & Pontificis, Regisque arcana iativa Consiliaque cum certitudine perspicendi.

Dum enim memorabile excidium Templariorum expenditur, quaeritur: 1) An vera sint, quae illis obijciebantur Crimina? 2) An illis in parte, vel ex integro stantibus, sufficiens causa fuerit, non modo totum Ordinem dissolvendi, sed etiam particulares personas ditis tormentis excruciatas acerbissima & ignominiosissima morte plectendi? 3) Quae ratio Reges ac Pontificem ad id impulerit, ut eo modo cum Templariis procederent.

Prima Quaestio e monumentis Histori-  
cis definienda esset, at cum cetum sit,  
multa horum studio suppressa, multa ho-  
die dem in latebris occulta teneri, accusa-  
tiones plerumque a flagitiosis profectas,  
confessiones diris cruciatibus elicitas, &  
tamen a multis revocatas fuisse; hic equi-  
dem nunquam indubiam certitudinem nan-  
ciscemur. Scelera quidem illis a malevolis,  
aut hebetibus impacta vel falsa erant, vel  
paucis propria. Discessisse a primaevo In-  
stitutione Templarios quid mirum, si, qui  
prius septem pauperes gemini uni equo in-  
sidebant, contra potentissimos hostes dem  
bella gerere debebant? & quae societas est,  
quae aucta non a primaevo suo statu rece-  
dat? Opes augendi studium quis culpet in  
societate, bella, quorum nervi sunt, ge-  
rente? Superbiam in militibus pro virtutis  
stimulo hodieque habemus. Haeresim flami-  
nis ponendam in idiotis quis quaerat? Im-

pietatem, Salvatoris seriam abnegationem, & similia, in illis credere prohibent tot exempla Templariorum, qui ab hostibus capti, spreto etiam splendidis promissionibus mortem praeeligere, quam apostatari maluerunt. Scelera naturae adversa, si qui perpetrassent, tempore ac loco eodem certe non soli, at ideo nec innocentes fuerint, sed id in Viris religiosis, negotiosis ac mortis periculo perpetuo subjectis non pueris, credere hebetis ac otiosae mentis fuerit. Arcana vero Mysteria in societate quavis investigare idem est, quod nodum in scirpo quaerere; ex his vero, quae hodie dum densis involuta sunt tenebris, sanguinarium iudicium deducere haud aequum fuerit.

Secunda Quaestio aetate nostra, postquam a poena mortis abhorretere, ac tormenta detestari ex humanioribus Jurisprudentiae Principiis didicimus, locum non obtinet; aspero itaque seculi genio, & adverso Templariorum fato tanta eorum infelicitas adscribenda est, nisi & adversariorum malitiae.


Tertiae denum Quaestioni minime omnium quispiam aliquando satisfaciet, nisi scripta quaedam arcaniora, si quae Rex cum Pontifice tum eatenus commutasset, fortuna quapiam in apicem proferrentur. Arcanas enim jam tum fuisse rationes illud liquido argumento est, quod ipsum Concilium, cui *causa examinanda commissa fuerat a serenda definitiva sententia censuerit se abstinere.*

Budae 20. Augusti 1789.



NON GABRIELI. KOLINOVIC. SENOVICZIANSI  
OB. NON. LITTERARVM. LOCO NATALI. ADSEN  
POST. FAT. GRAT. HOC. AMOR. ET. PIET. NON  
NON. MARC. GEORG. KOVACHICH. SENOVICZ.  
AMICO. B. M. P. S. E. C.

*In Memoria. July. 1872.*



FOR THE  
OFFICE OF  
THE  
DIRECTOR



# COMMENTATIO

DE

## PATRIA, VITA, FATIS ET SCRIPTIS

MOBILIS

### GABRIELIS KOLINOVICS

SENQUICZIENSIS.

## SECTIO I.

DE

### PATRIA, SIVE HISTORIA CO- LONIAE SENQUICZ.

**S**enquice, Senkovic, Schankovic, Senkovic,  
 Senkovich, Senkovich, Senkovich, Senkovic,  
 Senquice, Schankwitz, Schankwitz; nam in multiplicibus  
 monumentis hanc orthographiam diversitatem reperti-  
 mus, observamus tamen ab origine colonie ortum,  
 vel expellimus eam fuisse variatam, passim Senkovic,  
 quod hodieque Teutonice retinetur, deinceps variis  
 modis, ut videlicet Senkovic, & Senquice scri-  
 ptum, semper Schankwitz pronuntiatum esse: notum

Cinc  
(BV)



est geminae Coloniae, sive duarum, possessionem, uti nos in Hungaria pagos appellare solemus, quarum altera Nagy-Senkvice, altera Kis-Senkvice a popularibus vocatur, etiam utraque ob arctum situs, possessorii & gentis nexum unius iaster haberi potest. Dabimus utriusque hoc loco succinctam, qualem pagellarum usumque admittunt, uberiores fortassis aliquando alio notitiam, & primo quidem geographicam - chorographicam, secundo physicam, dein historicam, ac demum politicam.

---

## CAPUT I.

DE

### NOTITIA SENQUICZII GEOGRAPHICO-TOPOGRAPHICA.

---

**S**ENQUICZIUM majus, Nagy-Senkvice, Groß-Sanktwitz, Welle Szentwige, locus natalis Gebrielis Kolinovics est possessio a) Comitatus Pest-

---

a) Apud nos loca populosa distinguuntur in liberas, regiasque Civitates, Oppida Regia privilegiata, & privatae subjecta, Possessiones, Pagos & Praedia. Oppidorum nomine omnia veniunt, quae jure celebrandarum nundinarum gaudent, Possessiones his destitutas, quae a majores, hoc nomine, a minores pagorum veniunt, quarum aliae privatae dominis terrestribus subjectae sunt, aliae nobilibus habitantur, a quibus nobilitates vocantur; Praedia vel minus vel plene impopulata non sunt, vicissim tempore urbes ipsae aliquando in praedia convertit, & vicissim. Diverfitalis minimi sunt Territorii.

piasis in Præfata superiori extremo non procul a  
 caeruleis Carpathi montibus, uti Kolinovicz scribere  
 amabat; in finibus Marchionum Quadorumque, si-  
 ve Hungaria inferiore versus confinia Moraviae &  
 Austriae sita. In conscriptione comitatus nume-  
 ro XIX. signata ad occidentalem rivi Salsuck vi-  
 pam in unicum, proclongum tamen, geminam do-  
 morum serie ostentatam vicum 400 circiter passus  
 ab ipsa ripa remotam, cuius majori ex parte paral-  
 lela adiacentem protensa, editiore quidem ac pla-  
 no, cetera tamen declivi loco posita a media Bre-  
 laet occidentem septivum & septentrionem parte  
 vicinam Possessionem Terliag, inter Modram & Ba-  
 sialiam sitam respiciente in aliam intra orientem &  
 meridiem versus Salsuck ita porrecta, ut octava so-  
 lis linea diagonali respiciat. Series domorum orien-  
 talis una, altera occidentalis parallele sibi opposi-  
 tas mediam plateam, eamque latam claudunt. Di-  
 viditur in tres longitudina fore aequales partes; su-  
 periores versus montes Gerns dictam & usque ad  
 Templum porrectam, mediam Scredina a templo,  
 usque ad viam, quae Tyrnaviam ducit, & inferio-  
 rem Dolao, vel Hofsals inde usque finem proten-  
 sam, quae initio majori parte per inquilinos habi-  
 tata fuisse videtur. Communia commoda ternis his  
 regionalibus sive casu seu consuege satis aequaliter di-  
 visa obvigisse videntur; pars enim superior templum  
 vicinum habet cum media, haec cum inferiore fore  
 in limite lanionam & educillum, inferior molam  
 habebat super admodum sublatam, viam tamen ad-  
 hac Tyrnaviensem ac Salsuckensem, viciniam mino-  
 ria Senquicelli, & majoris vinearum parte. Series  
 domorum orientali intra Salsuckum adiacent oblonga  
 pomeria sive horii possessionales Hunsus dicti, sicut  
 occidentali intra vicinas vineas, in quibus partim  
 arva trituratoriae, & horrea, partim arboros fru-  
 ctiferas, ac intra has quaecumque familia habon-  
 tur, originales tamen agrorum etiam arcolas in vi-  
 cina sylvâ humidioris commodius curare possunt.

pietatem, Salvatoris seriam abnegationem, & similia, in illis credere prohibent tot exempla Templariorum, qui ab hostibus capti, spreis etiam splendidis promissionibus mortem praeeligere, quam spoliatae maluerunt. Scelera naturae adversa, si qui perpetrassent, tempore ac loco eodem certe non soli, at ideo nec innocentes fuerint, sed id in Viris religiosis, negotiosis ac mortis periculo perpetuo subjectis non pueris, credere hebetis ac otiosae mentis fuerit. Arcana vero Mysteria in societate quavis investigare idem est, quod nodum in scirpo quaerere; ex his vero, quae hodie dum deus involuta sunt tenebris, sanguinarium iudicium deducere haud aequum fuerit.

Secunda Quaestio aetate nostra, postquam a poena mortis abhorretere, ac tormenta detestari ex humanioribus Jurisprudendiae Principiis didicimus, locum non obtinet; aspero itaque seculi genio, & adverso Templariorum fato tanta eorum infelicitas adscribenda est, nisi & adversariorum malitiae.

Tertiae demum Quaestioni minime omnium quispiam aliquando satisfaciet, nisi scripta quaedam arcaniora, si quae Rex cum Pontifice tum eareus commutasset, fortuna quapiam in apricum proferrentur. Arcanas enim jam tum fuisse rationes illud liquido argumento est, quod ipsum Concilium, cui *causa examinanda commissa fuerat a serenda definitiva sententia censuerit se abstinere.*

Budae 20. Augusti 1789.



MON. GABRIELI. KOLINOVIC. SENQVICZIENSI  
OB. HON. LITTERARVM. LOCO NATALI. ADSERI  
POST. FAT. GRAT. HOC. AMOR. ET. PIET. MON  
MON. MART. GEORG. KOVACHICH. SENQVICZ.  
AMICQ. B. M. P. S. F. C.

*in Roma July 1877*

Templum in serie occidentali & fere eadem cum domibus linea, editiore tamen loco situm ingressu & ara majori fore orientum spectat, ultra Sanctuarium, post aram majorem sacrarium habet, & pone turrim usque ad apicem ex lapide & lateribus structam, ac tribus campanis congrue harmonias provisa. Olim quatuor aras ex ligno habebat, nunc tribus abunde provisa est, quarum major cum ipso templo communem S. Annæ titulum referens ex lapide structa, & marmorea crassa obducta, opus statuarii Messerschmid, elegantem simplicitatem non minus, ac munditiem refert; duas laterales ad eundem modum utrinque, ubi sanctuarium cessat angulos parietum & replent, & ornant, quas inter ex fornice summo tabula horaria cum indice pendens visitur, ad dextram, sive meridiana latus intra majorem & lateralem aram Exedra elevatior sita est; Principi portas Odeum o costis laterculis quatuor columnis lapideis, suffultum innisnet gradibus in formam cochleæ structis utrinque ascendendam, quod organum studiæ, cantores & partem virilis populi sustinet. Nuper adhuc utrinque juxta longitudinem templi usque ad aras laterales alterum, pro pagana pube ligneum trabibus muro insertis, suspensum excurrebat, & templum frequentioris populi capax efficiebat, sed partim populi numero decreverente minus necessarium, partim quod ligna vetustas exedrat seu minus firmum, partim denique ut juvenutis petulantiae peropportunum penitus sublatum, unde templo uberior lux, simplicitasque ac etiam populi securitas accessit. Quæ hic enumeravimus novæ Ecclesiæ ornamenta non invita communitate loci Parochi Antiali Roek peculiari curas debentur; Idem tectum quoque novum toti templo imponi, & apicem turris tempestatibus dejectum restitueravit. Supra ingressum templi anteriori quippe frontispicium antea turricula lignæ, naves provisa campanala, quæ sub elevatione, ac pro agonizantibus pulsari solet, steterat, sed quod jam ligna alium

putrescerent, ac pluvias ad foraticam templi porvia esset, deposita fuit, campana caecae fenestras fronsipicii inserta. Idem parochus aere suo ad ingressum templi duarum orgiarum porticum, ingredientium, & imprimis mendicorum commodo erigi curavit. Traditione populus tenet, olim templi muros firmitatis, quam praefertunt, causa caemento, vino ac ovis galliaceis subactis a majoribus Arudos fuisse, idem consilium & in supra aytela turris restoratione observatum esse accepimus, sed cum pluvias mox externum caementi corticem abluissent, murarii in suspitionem exhausti vini absque dubitatione traherentur. Circa templum olim undique Caemeterium sepulchris utriusque Senquies susculurum erat, muris in quadrum undique cinctum minimum quatuor orgias altis; hos non cincturae solum templi ac caemeterii, sed hostium etiam incurtionibus olim non infrequentibus accendis destinatum, tam quadrata in angulis procurtenta, quam fenestellae in tres ubique partes tendentes jaculandis a sclopo glandibus plumbeis oportunissimae flagrantibus bellis civilibus hos & priore seculo propugnaculo deservisse accepimus, dum incolae ab origine croatica non degenerarunt, velut tutorem in locum congestis rebus, pecoribusque se se recipiantes turbulentos, quoties praedae causa propius accedere aut essent, globorum grandine feliciter repellabant. Locus certe emineus conspectus propugnaculi speciem referret, nisi templum cum turri in medio positum Deo consecratum esse indicaret.

Ad occidentale pagi latus pomariis, ac via curull separatae ab ipsa domibus, adjacent vineae Srtara Gera, seu promontorium vetus popularibus distae, tribus Sectionibus distinctae per geminas intersectantes vias & usque ad sylvas parrotiae, quarum Sectio prima proxima pago ejusque longitudini adaequata cum ceteris Zagabus eorum Ungus, clavis Zahamenice, secunda seu media Gracki vel Grefiti, tertia sylvae proxima Mlade, quasi juvenis vocatur, nos dubium est, quin olim successive hos

Ipso ordine plantatas fuerint, in loco exaltatum, primo omni pagi adjacentium sylvarum. His ad meridiem a fine inferioris partis pagi incipiens promontorium *Kozara* vinum optimae notae profert, sive a capris tracta, sive aliunde accersita denominatione, gemina Sectione absolvitur; magis adhuc meridiem versus remotum promontorium *Zrinianum Zrinjaka Gora* a prioris peramans, fructiferaque valle *Candis* separatur. Interjecta demum altera, sed deserta, nec nisi tenuibus pascuis deserviente valle litterae *L.* formam referente ultimo ad meridiem *Szempesinum* versus situ jacet ab omnibus praemis undique separatam *Novam promontoriam Novosad* quae Neoplanta cujus denominatio indicat uti remotissimasque postremo hic plantatas esse vineas gemina Sectione distinctas. Promontorium hoc jam cum initio Seculi XVII. a Leopoldo Pehh Proventuum Camerae R. Poson. Perceptore constitutum fuisse accepimus. Apud M. Bellum non usquequo recte situs harum vinearum indicatur; nam versus *Nagy Senquiescentibus* nullae sunt *Nagy Senquiescentibus* vineae, nisi quod Promontorium *Kozara* parallelo ad occidentem adjacent, neque *Novosad* inter *Sylvam Szempesinensem* & *Senquiescentem internitum* sed hinc posteriori parallelum, ab illa magis adhuc in meridiem remota extremo angulo adjacentibus agris separatur. Universum Promontorium vinearum *Nagy-Senquiescentium* latitudine ubique semel longitudine bis pago *Suppar*, intra hunc et *Sylvas* jacens. Cum in utroque fine singularum Sectionum, tum intra ipsas vites frequentibus arboribus sativis ac fructiferis, sed quae umbra sua minus vinarum maturitati obstant consistat sunt vineae, quarum tamen arborum major plantandarum cura fuit, quam ut nepotibus conservandarum.

*Sylvae* quercinae agris *Basilienibus*, vicinae, juxta agros, vineasque ad occidentalem Territorii *Senquiescentis* plagam remotas, plene plerumque, lenibus subinde vallibus intersecto terreno insident, tenuesque ramos loco incolarum non tam concedente, quam diffin-

lante domo, nullam vero aedificii materiam e  
sylvis nonnulli montanis petendam, suppeditant.

Pascua in agris, intra sylvas vineasque & in  
nonnullis desertis plagis, tum in faenetis post de-  
fectum cordum perquam tenuis pecori domestico  
obtigerant, sed & faeneta angustis limitibus juxta  
ductam fluvii *Stritzek* concluduntur, quae versus me-  
tas Territorii *Modrensis* ad lacunam *Súr* a falsedi-  
te, vicinorum opinione sub terra *Modrensi* latente,  
pecori optimum pabulum praebere existimantur. Flu-  
vius *Stritzek* penes pagum olim in geminos, sed te-  
nues alveos divisus quaedam Insulae speciem ef-  
formaverat cujus ea pars, quae inferiori regioni  
*Hofaki* & ex parte colli *Cycroso Berdo* subjacet  
eximium pratum *Jagret* communitati pro usu mili-  
tari reservatum complectitur, ob perpetuam rigi-  
tionem a natura concessam denso gramine herbi-  
que luxurians, & cordum pene nunquam denegans.  
Pascua ac faenetorum exilitatem Industria *Senqui-  
cienſium* supplet ex hortis postdomalibus, herbis  
intra vites alioquin in vineis quotannis evellen-  
dis, & vitium capitibus in Augusto demetendis,  
imo & superfluis ac botri exportibus earundem vi-  
tium geminibus ac vires adimant, ordinario quot-  
sanis labore avellendis, quae in usus pecorum hic-  
males promtuaris diligenter inferuntur.

Hortis olerum occidentalibus *Senquiczenſibus*  
pene nulla est oportunitas, orientales superiores &  
medii in sine hortorum subdomalium qui volent, quod  
satis sit, plantare possent, habituri plus, a Insu-  
lam modico adhibito conatu aptam illis redderent,  
alioqui non nisi paucorum anserum usui relictam,  
imo neglectam. Inferiores *Hofaki* plus ceteris  
omnibus habent; nam nec pomaria tam praecipiti-  
ta & subito in terram uliginosam desinentia, sed  
leniter declivia, dimidium sere plantandis oleribus  
aptum vel ultra offertur, & medium Insulae ultra  
pratum *Jagret* nos ipsi adhuc pueri jam lino,  
canabibusque, jam caulibus inferum suis memini-  
mus, nuper vero pene desertum spectavimus. Idem



& longo tractu intra Hofsky & collem Czeroye Berdo distans hortis vel civitatibus ad invidiam olim vidimus, & nunc magna parte neglectum dolemus. Omnia haec, imo & ipsa pomaria, & quae in sine viciniorum vinearum olim summa cura habitata, amoenissimaeque fuisse meminimus, jam parula, neglecta, desertaeque sunt, alias pacis aut remoti belli tempore magis, quam olim domestici; idque non tam Incolarum ignavia, quam invalescente municipalitatis, vel certe paupertate animos industriae subtrahente, atque metu, ne sudore plantata vicini depascantur.

11 Nec agros frumentarios permittunt vacare  
12 Senquictiensis. Quidquid enim in occidentem  
13 procurrit, (a sylvis) versus Crakrd, Terling,  
14 Praedium Novae Villae, & Territorium Madren-  
15 se, penes rivum Szysak; quidquid inde, reflexum  
16 in Aquilonem, recta inter eundem hunc  
17 rivulum, & vicinam vallem, pertinet ad viam  
18 Tyrnaviensem, & ultra eodem tractu; quidquid  
19 recurrit ad fines Vistukiensium; rursumque, a  
20 via Tyrnaviensi, quidquid a Sarsfö usque, vasto  
21 ambitu, circuit, frumentis confertur labore haud  
22 exiguo. Praeterea, ex quoque agri parte, quae  
23 a minori Senquiesio continua ejusdem amniculi-  
24 ripa, ad vineas usque Sarsföenses porrigitur,  
25 multum gignitur siliginis; sed a consuetudine & decimis,  
26 quod solo provenit exstirpato, liberum.  
27 Prata eis multa non sunt, optimi tamen gramini-  
28 nis, ob rivuli, quo irrigantur, humorem. Eadem  
29 & pascua praebent, foena sublato, tamost  
30 alibi quoque circa rivos & sylvas, ut pabulum.  
31 Ex his ligna promunt; sed vero carent Molendinis;  
32 ideo, Sarsföensium, Csallensiumque ad molendinas  
33 deferre frumenta necesse habent, farinae capsa.  
34 Ceteroquin totum vel territorium, ambitu, duo  
35 miliaria Hungarica, complectitur, limitibus ab  
36 oriente Babos, Kapalos, Lysam, & Sarsfö; a  
37 meridie Szemes, Boldogfalva, Horvath & Totb,  
38 Gurob, atque Szwenczob; ab occidentem vero Borsing,  
39 Czaila, Crakrd, Terling, & domum a

Septentrione *Modra*, & *Vilsh.* *M. Bohis Notit. Hung. novec. T. II. p. 194.*

Territorium Senquiciense duo præterfluunt rivuli: *Saislet*, ad latus orientale ipsius pagi a montibus *Modrensis* ortus, & infra *Sark* in paludes diffusus, atque inde in proximum *Danubium* tendens; & alter in valle *Tyrnaviam* versus mille passuum a priori remotus infra *Kla-Senquies* in eundem influens; tertius tenuis admodum, prope metas territorii *Bahoniensis*, sæpe penitus exsecari solitus, & prioribus supra *Sark* jungendus vix rivi nomen meretur.

## CAPUT II.

D X

### NOTITIA SENQUICII PHYSICA.

**S**ENQUICIIENSIS itaque vineæ & agri præcipue vivendi media suppeditant. Utrumque ratim sub iacta coluisse videntur, & vineæ quidem adeo Industrie, ut vulgus *Senquicell* Etymon a pluralitate educillorum olim ibi reperibilium deducat, quæ si nimirum itinerantes aliis vicinis locis componarum observato defectu, *Senquicel*, res quod plures essent, celebrassent, & inde duse slav. vocas *Sensuroyc*, in unam loci denominationem, litas transivissent. An hæc deducio etymol. histori. vera sit, si quidam usque dum vineæ pluribus educillis suffocatas plantarentur fructusque ferrent, pagum ipsum aliquo tempore, non utique sine nomine præexistente oportet, in medio relinquimus, id unum ob homonymiam adnotantes, existere pagum itidem cronicum in Comitatus *Scaladiensis* Processu *Insulano* *Schenkovic*æ sequæ vocatum teste *L. M. Korabinsky* in *Lexico Geographico-Histrico* p. 672. h. v. Quæritur

haecenus vetustiora loci historiae vestigia indagando  
 proficere potuimus, primam Senquiciensium vinearum  
 memoriam ad annum 1587. deprehendimus, quo  
 universam in toto Promontorio nonnisi 15. urnas decem  
 & sex viniculis hospitibus ex vindemiis obtigerunt;  
 at hinc minime ad novelli promontorii tenuitatem,  
 vinearumque ac vinicularum praecitatem legitima  
 duci potest consequentia; nam anno 1601  
 aduque post 14. annos vini Senquiciensis 163. vinicolas  
 universam 1934. anno 1602. 154. vinicolas  
 1347. a. 1604. 147. vinicolas 1788. a 1613. 139. vi-  
 nicolas 4636. a 1614. 151. Vinicolas 3494. a 1615.  
 123. vinicolas 1276, & a 1618. 160. vinicolas  
 1777. urnas o promontorio isthoc suo lucrati sunt,  
 ut adeo exilitas vini anno 1587. producti non tam  
 vinearum paucitatis, quam anni sterilis liquidum  
 argumentum esse videtur; cum verisimile non sit  
 vinearum numerum adeo fuisse auctum, vel tan-  
 tum in fertilitate novellarum vinearum intra exiguum  
 tempus intervenisse discrimen. Patet hinc una inter  
 annos, quorum ferticitas vini nobis haecenus inno-  
 tuit, longe maximam eam fuisse fertilitatem, quae  
 felicibus viniculis anno 1613. obtigit.

„ Vini autem Kosurae, deferunt palmam, Sen-  
 „ quicienses; tamen ex omni parte, toto, qua-  
 „ tuor plagarum tractu, vinum gignatur salubre,  
 „ generosum, & ob gustus gratiam, *Silesis* etiam  
 „ cognitum. Novimus multos Tyrnavienium, Pi-  
 „ soniensiumque non plane nullos, vini aliquem  
 „ modum hinc redimere, propriosque habere a-  
 „ nos. “ *Idem Belius l. C.*

Jam primis supra memoratis Vinculturae annis  
 apud Senquicienses, vicinos, extraneos vineas ce-  
 nuisse, & excoluisse legitimis monumentis edocti  
 sumus, sed nobiliores earum possessores extranei  
 Senquiciensium, praesertim Inquillinorum, & pau-  
 periorum mercenaria industria illas excoli curant,  
 pro vindemiis, praesertim fertilliore animi relaxandi  
 causa & ipsi comparituri. Vinum Senquiciense  
 praecite album est, uvis rubris, nigisque rario-

tibus non nisi elevando vini coloris deferuntur. In autem vindemise in hoc promontorio jam anno 1617. die 18. Octobris coepisse deprehendimus, secte nostra passim 16. Octobris & festo divae Theresae V. initium, & nisi vel rara fertilitas, vel quaevis illa causa interveniat, festo Simonis & Judae finem sortitur Senquiesiensium vindemiatio, quod posterius populari parvascula indicatur: *Ua Simonis & Judae* *Wijn 3 Wudy.* Festo Simonis & Judae custodes vinearum sua deferere tuguria, non sperante quod ultra in vineis custodirent.

Fertillioribus, ac una calidioribus annis, praesertim si autumnal inirum accum, & noctes pruinae sint ditiores, vineae passae copiosae corrugantur & quibus vinum pressum paucis domesticis, peregrinisque secundum conficitur, id vero negotii domi praestit, vicini Modrenses, Bazinensesque Cives, ac imprimis Judaei plures, non tamen singulis annis, ob defectum avarum passarum suo commodum suscipiunt; et quod ita vino ordinario liquor nobilissimus, Nonneque ac Docinae justa subtrahatur portio, avarum passarum collectio, venditioque Dynastiarum auctoritate severius vetatur, nec tamen vel nocturno tempore praevericatio penitus impeditur.

Sed vineae Senquiesienses, quarum, uti testimonio praemisimus *salubre, & generosum vinum longe lateque nobilissimis etiam mensis ob passum gratiam celebrabatur, expecebaturque meliore adhuc, aetate nostra; postquam jam serotina vernali pruina, a qua se Vinicolae hic ante 16. Maji nunquam securos esse existimant, germinantes vites concoquantur, jam frequenti grandine ura tumescens media aestate eliditur, deficiente etiam solita siccatione, usque adeo sequentibus hisce annis sterilefcunt, ut vulgo jam observetur intra septennium vix semel annum vinicolae laborem parca mercede perfolvi, qui ideo culturam earum passim deserit, & vidimus ipsa hisce oculis aestate anni 1788. in promontorio veteri, licet domibus colonorum prozimo, late patentes vinearum tractus desertos, Ru-*

tibusque horridos, alios vero, ubi aliquando dulces uvas ipsi carpabamus, hordeo, avenisque, ca- nescere mirabamur, colonis referentibus non nisi consensum omnium vicinorum, domolique requiri ad unversum vinearum promontorium, qua foret aptum aratro subjiciendum, inque agros frumentarios con- vertendum.

Agrorum Senquiesiensium amplitudo eam, quae vinearum est, ternis facile vicibus adaequat, totis- dem, uti praemisimus regionibus, psgo adjacentium. Horum quoque fertilitatem, per diversos annos ge- mini prioris seculi, investigantes, reperimus Anno 1578. Agricolae 83. Tritici puri 1443. Siliginis 196. hordei 190; Anno 1579. Agricolae 89. Tritici 1922. Siliginis 300. hordei 162. Anno 1580. Agricolae 98. Tritici 2440. Siliginis 465. hordei 113; Anno 1581. Agricolae 99. Tritici 120. Siliginis 150. hor- dei 255; Anno 1582. Agricolae 105. Tritici 2000. Siliginis 346. hordei 346; Anno 1583. Agricolae 106. Tritici 1781. Siliginis 261. hordei 97; Anno 1584. Agricolae 142. Tritici 2308. Siliginis 278. hordei 68. Avenae 5; Anno 1594. 127. Agricolae Tritici 1918. Siliginis 344. hordei 44. Avenae 48; Anno 1603. Agricolae 131. Tritici mixti 1837, hor- dei 94. Avenae 20; Anno 1604. Agricolae 132. Tritici puri 895. Siliginis 1082; Anno 1613. Agri- colae 95. Tritici puri 509. Siliginis 424. hordei 69. Avenae 40; Anno 1614. Agricolae 122. Tritici 758. Siliginis 630; Anno 1615. Agricolae 123. Tri- tici mixti 1317, Anno 1624. Agricolae 94. Tritici mixti 341, hordei 6. Avenae 2; Anno denique 1725. Agricolae 97. Tritici puri 38, mixti 15. Sil- liginis 375. hordei 198. Avenae 124. Capocias Augu- us 84. manipulos continentes, varia messis vicissi- tudine ex agris proprii territorii la promptuarie in- venisse.

Atque hinc legitime conclusimus Senquiesien- sis initio maxime triticum purum, nullum mixtum, siliginis parum, hordei minus, nullam avenam, ni- si ad annum primo 1584. exiguum admodum semi-

esse, idque seculo XVI. in eadem hac proportio-  
ne obtinuisse. Initio seculi XVII. crevit quantitas  
tritici puri decreverunt, mixti, aliginis, hordei, &  
avenae incrementum. De seminatione leguminum pe-  
nitentia nihil, quod referamus, occurrat. Successive  
ignobiliores fruges ita praevaluerunt, utque triticum  
purum ita diminutum est, ut hoc, quod vivimus se-  
culo rerum admodum, aligo usitatissima sit, & con-  
verso lentes nonnunquam majora copta seminentur,  
sed panicum nunquam, pisa, fabae, atque hirsu-  
tina legumina, non nisi in hortis, vineisque ubi  
pars aliqua terrae vitibus carens, atque calva lo-  
cum industrise offert.

Agri Senquicenses anno 1581. sterilissimam,  
1584. omnium longe fertilissimam dederunt messem,  
patet tamen seculum XVI. frugum seculum XVII.  
vini fertilitate, utrumque autem colonorum nume-  
ro sequorū huius, quod vivimus seculo praevaluisse  
absque comparatione. Vinearum, agrorumque fer-  
tactus, si anni tempestates noceant, praeter indu-  
striam culturam & simationem, haec vero pecorum suf-  
ficiente copia dependet, & quamquam ubi territo-  
rium integrum, uti Senquicense, non nisi ex agris,  
vineisque constat, agricola saepe anceps haereat,  
hisne, an illis praebere, aut subtrahere simationem  
debeat, prioribus tamen seculis, forte quod a re-  
centi sylvarum extirpatione solum natura pingue ad-  
huc fuerit, tam vineae, quam agri vini, frumen-  
tique longe fertaciores erant, hoc vero seculo jam-  
jam effecti agri, vineaeque mutuo sibi simationem,  
utrinque haud sufficientem, subtrahentes, perquam  
sterilescunt, raroque colonorum spes explent, ut  
adeo animis hos, egestate in dies magis pressos,  
concidere oporteat, incolae tamen, quamquam ex-  
succa agrorum gleba, mixtae arenas similis esse vi-  
deatur, & nunc suo in territorio praestantius gra-  
num, quam apud vicinos provenire gloriantur, quod  
ab emptoribus aliquot denariorum adjectione ad pre-  
tium paris mensurae vicini framenti ferente, reco-  
gnoscere non invitis obtinent.

Territorium Senquicalense a natura ad omnem  
tractatam ea ratione destinatum, si agricola ac-  
cesserit industria, plano undique sic gaudet, con-  
loque, sed & omnibus serie vicissitudinibus libere  
omnino expositum est, a quo vel ideo saepe tem-  
pestatum damna perferunt. Ceterum terrenum in  
valles leniter depresso, quin colles efformet, decli-  
ve hinc, aequilline surgit, hinc est, quod agris  
nupiam aqua sine pluvia, seu nivale tandem in-  
cumbat, quidem, ut granum in radice suffocetur,  
quod aliis territoriis frequentius accidit; at ne tam  
diu quidem permanet, ut ad sufficientem altitudi-  
nem terra humedetur, unde succi, quantum satis  
est, plantis obtingat, sed a vestigio declivibus un-  
dique sulcis, copiosiore cumprimis imbre cadente,  
non sine violenti celeritate in subjectas valles de-  
volvitur, terramque secum, & sata proxima defert,  
vallibus quidem hoc modo successive ad sensum, uti  
vel unius hominis aetas advertere potest, complan-  
nandis, sed & agris tanto breviori temporis inter-  
vallo in scrobes oluendis & aratro inutilibus red-  
dendis.

Sylvae, uti praemissum est, ad occidentalem  
plagam adjacent viciis a Territorio Szempciensi,  
ad Baziniense usque continuae serie protensas, qua-  
rum pars non minima Senquicalensi territorio con-  
cluditur, olim incolis liberiores, nec multum cu-  
stoditae, nunc in segmenta, annuatim in orgias cas-  
dendae, divisa proventus augent.

Olim plaga tota sylvis undique obdita fuit, qui-  
bus excelsa per novos colonos nunc seget est, &  
ostentatur adhuc a majoribus domus, in cujus ante-  
riore hypocausto pavimentum pro more gentis pro-  
longae trabi incumbit, ex quercu, eo ipso in loco  
excelsa, dum per advenas colonos Senquicalium pe-  
neretur. Vestigia ejusmodi sylvarum collis adja-  
centis ea parte, quae intra Salsokum & Hostakos,  
ab incubante minore Senquicali in comam procurrit,  
nos ipsi adhuc tum pueri vidimus, atque demota  
animi causa non semel sublimi meminimus, quibus

tam hoc, quem aduerso trans Saistekum in colle, aliisque minori Senquicentio circumjacentibus regionibus sive excisis, sive exarscentibus, saluities, vix raro gramine tegenda nunc iam conspiciuntur, nec nisi ad avitos hortos nostros, ternae annosae quercus, ea causa servatae, priscae regionis faciei conservant memoriam.

Vix dubitare licet, quin terrae superficies, quibus Regioribus aquis non operitur, antequam ab hominibus sceleretur poene ubivisa a natura silvis restita fuerit, id omnium Coloniarum origines testantur, quibus praecipua religio fuerat excisis sylvis vel Laros, in quibus Aeta tempora diis consecrassent, & longaevas quercus quadam cum veneratione in vicinia memoriae causa sollicito conservare. Hujus equidem apud Christianos rariora, nec tamen nulla deprehenduntur vestigia. At hoc, quod vivimus Seculo maxima licet publico sylvarum cura habeatur multis tamen in locis eas deficere potius, quam augeri experientia constat; a memoria certe nostra intra Posaonium duntaxat, & Tyrnaviam diversis in locis partim sylvae quercinae, partim quae dumeta jam solum fuerant in plane penitus excisae, ac in agros conversae facile quadrati milliaris Geometrici spatium occuparent, & ubi agros reperias, qui non aliquando extirpatissimi fuissent?

Nec deest Senquicentibus multiplex arborum salvarum, ac fructiferarum species, quas cum in pomariis, tum vero utrinque ad fines vinearum, in ipsis adeo, ut praemisimus, vineis, intra vitas perquam copiosas videre est, quae si anni temperatae fuerint, sapidissimos fructus, magnoque numero proferunt, partem in vicinis urbibus aere vendentes, partem ad ripas Danubii ubi rariiores sunt, devehendos atque frugibus permutandos.

Aere, & aqua Senquicentenses perquam salubribus fruuntur. Memorandus tunc primis est fons acuae scatarientis ad radicem collis Kis-Senquicentensis, non procul ab Hostakis situs, ab Inco-  
lis Giegevarr dicitur viniculis in Promontorio Koo-



ra proxima Zrinska Gora, & Novofud operantibus fere unicus aestivo tempore, & Kis-Senquiciensibus, perennis alioquin, perpetuo deferviens, habet is aquam limpidam ex ipsa scaturigine hauriendam, nullo peregrino sapore vel odore bibentibus adversam, quin imo gratissimam, cujus ex praecipua virtus est, quam sensu scholae Salernitanæ semen foeniculi habere fertur, quod nimirum pota Astus dispollat, ob id consilio medicorum, quibus nota est, etiam ad vicinas civitates, quin Pofonium usque patientibus deferrebat, hunc vicinale dicitur, neque remotioribus pro merito nota.

„ Senquicium minus, Kis-Senkviés, non est loco discriminis causa ob viciniam, Kis-Senquies, slavice male Šentvoice, quin & Ercoleo Brdo, hoc est, quercium licium, dicitur, ob ejus generis sylvas eodem hoc colle, quem insedit, vicus, extirpatas. Vicus est, multo editior, quam majus Senquies, seditque ei in orientem longo domuum ordine, propter rivum posito. Ultra sunt horrea, & vineae. Templo carent, ideoque, cum Nagy-Senquicioribus rem divi nam obeunt, pari sunt, & Religionis, & morum rigore. Non minus, eadem utrumque, manet soli, caelique sollicitas. Aërem, montes ab aquilone objecti, reddunt temperatum, aquam salubrem, fontes atque putei persane scatentes. Neque paucior est vini copia, quod colles proximi nobile fundunt. Agri, frumenti tantum educant, quod satis est; lignis caedulis passim succrescentibus. M. Belius l. c.

Possessionis hujus post omnem adhibitum censum non nisi ad annum 1601. invenimus mentionem sub nomine Sriszek, quo septem vinicolae 64. urnas vini obtinuerunt. Anno 1604. jam Zizek seu Kis-Senkovicz appellata 13. vinicolae numerabat. Anno 1613. Agriculae 28. obtinuerunt Tritici 215. Siliginae 65. Capecias & 36. vinicolae 765. urnas Anno 1614. Vinicolae 38, urnas 677. & 36. Agriculae Tritici 222. Siliginae 94. Capecias. An. 1615. Agriculae

Agricolae 37. Tritici mixti 324. Capellas & totidem Vinicolas 190. urnas vini, Anno 1618. Vinicolas 34, urnas 397; Anno 1624. Agricolae 40. nonnisi 111. frumenti mixti, & 5. Capellas hordei, Anno denique 1715. Agricolae 30. Tritici puri & mixti 5. Siliginis 109. hordei 11. avenae 6. Capellas collegerant. Ad Annum 1624. invenimus omnium primo hujus Possessionis appellationem *Czerberdo*, aliis *Kis-Senquics*. Verbum *Sziszek* vel *Uzszek*; ut videtur omnium primum, indubie ex Croatia adlatum praeterfluenti amniculo ac dein adjacenti vico impositura, adeo aetate nostra ex usu abiit, ut vel ipsis incolis maxima pars jam ignota sit; *Kis-Senquics* a vicinia majoris Senquicis tractum; hodie sere in scriptura duntaxat & a quibusdam vicinis, sed rarius jam usurpatur; *Czerberdo* utcumque quercinum vicium verbi possit, proprie tamen collem quercinum indicat; a tali sylva olim in eo exstirpata, incolis utriusque Senquicis Croatiae nunc jam vulgare, quis & his, & vicinis praecipue *Czerberdo* vel *Czerowe* appellatur. Quantopere collis iste, cujus superior conus intra fluvium *Sziszek* & inferiorem majoris Senquicis partem, seu *Hoslakos* terminalitur hinc ferax fuerit, inde satis colligi potest, quod cum jam a duobus seculis sylvae exstirpatae coeperint, tamen hodie hinc inde in seclite radices quercinae in domota repullulant, & in pomariis ex utraque parte in proceras etiam quercus, & tolerantur, excrevant sponte. Vicus ipse una duntaxat orientali, fronte occidentem respiciente domorum serie, longa quidem, sed majori Senquice non consequenda constat. a tergo in subjunctam vallonem ad usque fluvium *Sziszek* concurrentibus pomariis, ex altera parte occidentem versus loco alterius domorum serie horrea formae sunt, ipsae domibus respondentis, & ad harum numerum plura quam in *Nagy-Senquics*, subjunctis a tergo locorum hortis, cumprimis arborum sativae, ac fructiferarum, qui lata via carruli ab adiacentibus *Kis-Senquicis* vicinis iterantur.

ad viam usque & Nagy - Senkvics versus Sársó  
ducentem, porrectis, quae hic parte aliqua intra  
gemina utrinque praecipitia perquam profunda Kis-  
sics vocatur, uno duntaxat cursu, nec sine mole-  
stia permeabilis; alterum Kis-Senquicziensium pro-  
montorium paulo remotius ad occidentem hibernum,  
interjectis agris, plano aequo loco situm est. Co-  
eterum Territorium utriusque Senquiczi, praefere-  
tim quae agros continet, non nisi attentiore oculo  
discerni potest, alioquin nulla ratione dispar.

## CAPUT III.

DE

### NOTITIA SENQUICZII HISTORI- CA.

**O**RIGINEM Senquiczi, ceteros inter Samuel Ti-  
mon S. I. in Epitome ad annum 1550. attigit,  
quam & Ioan. Szegedy in Rubricis Juris Hung.  
etulit, sed Historiam Colonisae uberiores Gabriel  
Kolinovics Senquicziensis deduxit, quam Math.  
Belius in notitiam Hung. novae T. II. p. 191. &  
ex illo J. M. Korabinsky in opus nuper sub titu-  
lo: *Gregorisch. Historische und Producten Lexi-  
kon von Ungern* editum sub voce *Senkvitz* inse-  
ruit, quam & nos lectoribus hoc loco proponemus  
quatenus hoc facti, reliqua de nostra penam adiecturi.

„ Nagy-Senkvics est Colonia Croatia, quam  
ante annum 1550. Nicolaus Benichius (Timoni  
Bedichius) cum Cypriotas Turcas excursioni-  
bus vexarent, propter barbari furorē, magna  
hominum multitudine, istuc deduxit. Ferunt  
LXXX. plaustris huc translatis, locum nomine  
Czanok, cujus nullam prorsus vestigium superest,  
extirpatis circum nemoribus, reconditis, atque

extructis domibus, grandem hunc vicum, com-  
mutata adpellatione posuisse, quam ob rem *Casperus Seredius*, loci dominus, immunitatem a cen-  
su, decemana vacatione, in praemium industriae,  
novae huic Coloniae indulserit. Horum gentem,  
referunt adhuc nonnulli, inter ipsos nobiliores,  
*Auzanovics, Berdovics, Crefanovics, Kolinovics,*  
*Kralnovics, Mayevics, Zelenkovics*, alii; reliquis  
sive emortuis, sive, ob mutua connubiorum la-  
dera, commerciaque, in Slavos transeuntibus,  
Nam etsi adhuc est usus eius linguae, quam a ma-  
ioribus acceperunt, *Croaticae*, multa tamen re-  
dolent *Savo-ismum*, ut non immerito, corruptio-  
nis linguae *Slavicae* postulentur."

Ipse *Kolinovics* initio *Cronici vitae suae* MSS.  
T. VIII. P. III. p. 94. locat initialem *Senquicizii*  
Epocham intra An. 1544. - 1550. & *Comment. Re-  
rum Hung.* L. XII. ad An. 1717. ubi *Costanicras*  
mentionem injicit de *Senquicizii* & sua origine se-  
quentis habet.

Memoriae proditur, ut tantisper ad vetu-  
stiora digrediamur, (*Costanicsa*) olim per Tur-  
cas vastata, *Croatas* duce *Nic. Benicio* novam  
duxisse Coloniam *Pofonium* usque, ibi  
sub arcis *Basinensis* ditione *Senquicizium*, &  
alios duos pagos fundasse adhuc ante annum par-  
tus *Virginiae* CIOICL. per *Senquicizienfes* tandem  
obtentam a *Caspere Seredio* loci Domino duode-  
cim Annorum libertate, excisis sylvis vineas plan-  
tari coepisse, *Benicio* cunctis in perpetuum on-  
eribus exento, ejus sanguinis furcus est, qui  
hanc scriptam Historiam *Gabriel Kolinovics* e dia-  
sciplina PP. de *Schelle* *Pils* & *Jesuitarum* dili-  
gens Possessor, *Historiae*, *Geographiae*, *Aithno-  
ticae*, *Juris* *Patris* Cultor, ut ejusdem testantur  
MSS. sed quae *Mecoenatum* degeneri hoc sevo  
inopia, suis blattis in laibulis passura, & a  
sorte (quaedam enim *Tyravienfis* *Universitatis*

„ subiere Censuram ) publicam Eruditorum locum  
 „ non immerita. “

Nicolaum Benichium, Timoni Bodichium, non  
 per Serodiam, verum per Eckium a Salmis exem-  
 tum esse, alio loco tradit Kolinovics MSS. T. V.  
 in fin. Austerii pag. ult. ex *Urbario Regio As. 1618.*  
*ad Cakem Nagy-Senquicz.*

„ Nicolaus Sztochics habet hic Curiam liber-  
 „ tatem duorum integrorum Sessionum, quam svo  
 „ ipsius materno Nicolao Benics Comitem quondam  
 „ Eckium a Salmis eo respectu seniores subditi sub  
 „ juramento asserunt, quod is novam Coloniam ad  
 „ pagum istum excolendum ex Croatia in has par-  
 „ tes deduxerit. “

Id igitur certum est, Senquiczienses origine  
 sua veros esse Croatas, eosque a Costanicensibus  
 appulisse, an autem omnes ante hanc migratio-  
 nem Oppidani Costanicensis fuerint, vel quod ve-  
 ri est similis, & in hujusmodi migrationibus pas-  
 sim usi venire solet, alii etiam ex vicinis ibi locis  
 Costanicensibus semet associaverint; an simul omnes,  
 quo anno iade moverint, an medio itinere uspiam  
 confederint, & aliquandiu morati sint, an e contra  
 in hanc plagam recta venerint, non ita exploratum  
 est, quod nos forte aliquando certioribus & fonti-  
 bus illustrabimus. Neque vero Senquicziensium com-  
 plures etiam Costanicensis aborigines fuisse vel Ma-  
 jorum nostrorum argumento docemur, quos jam Se-  
 culo XV. & antea sub Regibus Boemiae oras ma-  
 ritimas in Dalmatia patria lingua *Primorje* dictas  
 incolasse, amplisque Vajvodarum Muneribus functos  
 fuisse, atque largum pro patria sanguinem fuisse,  
 praeter ceteros testis est P. Emericus a Buda in Ka-  
 richiana Regum, & Heroum Slavinarum descri-  
 ptione in latinum a se versa, ubi narratur Stephe-  
 num VII. Tomasevich ultimum Boemiae Regem in  
 expeditione contra Turcos Anno 1463. in manus  
 hostium delapsum rivam excortatum fuisse, atque  
 cum eo Optimatum, Praefectorum, Nobiliumque  
 personarum novem millia Saeva clade a Turcis illa-

ta interisse, quos inter *Joannes Korachich Vajvoda Partium Dalmatiae, & Petrus Korachich Vajvoda Ponsa cum Vexillo*; ab hoc tempore Regnum Bosniae sub jago Turcico hodieum gemit.

Hinc prono alveo fuit, cum huius, tum aliarum familiarum capita hac infelici expeditione contra Turcas pro aris, & focis fortiter pugnando gloriosa morte occubuisse, reliquos autem superstites earum furculos, occupata per Turcas patria, in tutiora Slavoniae & Croatiae loca urgentibus fatis dispersos se se recepisse, non integro Seculo & hic stabilem sedem habituros; nam cum Turcae ultro sensim imperii sui limites vi extenderent, atque etiam Constantinense imminerent, oppidani, ac vicini neque hic tutam se mansionem habituros rati, ut se imminenti periculo tempessive subtraherent, in Hungariam demigrarunt. Ante occupatam nimirum adhuc Constantinensem id evenisse, ut credamus, ratio temporum suadet, cum ea non nisi Anno 1556. incassum tentata, sequenti in manus Turcarum transferret, & Senquieziienses cum vicinis jam ante Annum 1550. in Dynastia Arcis Bosniae coesedissee constanti sit Scriptorum traditio.

Praebuerit fortasse huius migrationi facilitatem illa patriae nostrae calamitas, cum nimirum Turcae a prima urbis Viennensis obsidione repulsi barbaro suo furore obviliis quibusque populorum in fuga per vindictam correptis, atque focum in acrumosam, eamque perpetuam captivitatem abductis, locis, quae transire, vastitatem intulerunt, quae se Colono carerent, credibile est eorum possessores imminente Croatiae periculo in suam rem usos, data opera eos in suas dynastias evocasse, praesertim cum illis in partibus militiae vacarent; Ita celeberrimus Thomas de Nédasd, jam tum Palatinus & Locumtenens, Bona sua trans Danubiana Coloniam evacuata, ita Comes Eckius a Salmis illius in Capitaneatu Successor, ita Seredius Comes de S. Georgio & Bosnia evocatis metu imminenti belli per-

entibus Bosnonibus, Sclavonicis a) Croaticisque, jugum coloniale prae Turcico avita libertate permutaturis, possessoria sua penitus impigra ex occasione impopulaverint. Atque hinc opinio illa non parum lucis accipit, quasi Coloniae Croaticae ad Arabonis, Levthae ac Danubii ripas utrinque hodieum superstites e Bosnia originem habuerint, ita enim evenisse, uti supra non nuda hypothesi atque conjectura deduximus, rerum ejus temporis progressus fidem adstruit Historicam. Neque tamen hinc adhuc penitus confirmatur, quod *Fischerus in Brevis notitia nobis Vid. b.* o sententia Kolinovicæ, qui eam se a Jos. Comite Esterházy habuisse, nobis erram professus est, refert, vernaculam Croatarum trans Danubiorum appellationem *Wassertrout*, corruptam esse ex *Wassertrout*, quasi ea *Croatar Bosnensis* indigerentur, licet enim speciosa haec interpretatio sententiam nostram aliunde erutam de Bosnia Croatarum istorum origine, quam Comes Jos. Esterházy professio non ignoraverit, luculentius confirmet, neque fugiat nos elementa litterarum B. & W. ut sono assata, ita saepe invicem permolari, haud exfacili tamen appellationem *Wasser* velut corruptam rejicere possumus, cum ea in pluribus Regionibus etiam a nobis diffinis usitata sit; ita Silesii superiores ad limites Poloniae propius decedentes *Wasser-Telaf* vulgo, & fere in ignominiam appellantur, quos *Wasser-Telaf* vocare, poene inficetum fuerit, licet & Polonos cum Illyriis affinitatem habere Historici sine ambagibus tradant; et appellationem hanc ab aequo accersendam esse minime etiam existimamus, nam licet Croatas nostri, de quibus agitur circa abetes aquarum lacus Suroscque, & Silesii illi Onophagi, quibus eadem adheret appellatio ad Oderam confederat, appel-

a) A quibus Districtus superior Comitatus Castellae ferre vernaculam appellationem *Téthéség* nactus fuerit.

lationem tamen illam ab aqua traxisse, vix censendi sunt, cum plures ad aquas longe adhuc uberiores degant populi, quia ab his genericum nomen traherent, licet particulari saepe designentur v. g. Rhenani a *Rheno* non ab *aqua*. Si quid igitur eventis historicis conjecturae adjungere licet, censemus vocem *Beser* per translationem & similitudinem distantem linguam, fors & mores indigitari, quod nimirum, ut passim experiri licet, populi ad limites mixtam quandam linguam & quasi vicina dilutam loquantur, ita Silesii illi, si sic dicere licet, polonizant, ita Senquiciensibus (qui tamen inter *Beser* Croatas nunquam censebantur) teste superioris adducto *Beljo Slavonismas obijcitur*, & *corruptissimis linguae Slavicae* postulantur, ita denique apud Croatas Trans-Danubianos, quibus haec appellatione solis adhaesit, Dialectum patriam licet, vicinarum nationum, quibus fere mixti sunt, linguas redolere, earum vel mediocriter peritus facile advertet. Nolumus interim quemquam existimare, nos de prima Coloniarum Croaticarum in Ungaria, praesertim in partibus Soproniensibus & vicinis origine hic spero, constat enim in has partes jam sub prioribus Hungaricis Regibus ac imprimis Bela IV. qui post irruptionem Tartarorum vacuum pene Hungariam, velut alter Cadmus novo populo reparavit, copiosas ex oris Illyricis gentes huc evocatos esse, quae ut bellicosissimae, non solum partes has ab incursionibus Austriacorum strenue defenderunt, sed ipsae Austrias infusas Viennam usque se se extenderunt, quarum in his Austriae partibus hodie luculenta deprehendas vestigia, lingua, vestitu, moribus ipsas nationalibus retentis. Undecunque demum Illyricas Gentes in Hungariam veniant, in superioribus partibus a lingua Croatarum in inferioribus Rasciani vocantur. Sed ab hac paulo longiore, licet non penitus alieno loco facta digressionem, ad Croatas Senquicienses redeundum est. Horum proximam originem Croaticam cetera inter copiosas ex Croatia petitas, & vicinis in territorio locis impositas, et-



que hodie adhaerentes appellationes luculente testantur, uti *Saisark, Czerovo, Berdo, Klanica, Zriuska Gora, Glogovars, Krasna; &c.* quae omnia in partibus Croatiae reperiri accuratior docet Geographia. Quid? si nomen Candia ex inferiore Dalmatia, vel Albaniae partibus huc delatum; non sine causa Insulae Candiae memoriam conservaturum valli, Kotaras inter, & Promontorium Zri-nianum a majoribus impositum fuit? saltem vel cum Venetis, vel cum Joannitis, Rhodis, set Templaris tibi olim, & patrum nostrorum memoria Illyrios bel-lorum contra infideles societatum habuisse, insicari non possumus.

Anno 1557. Possessionem jam existisse indubi-tatum est, sed Incolas praeter dominialium etiam pu-blicorum onerum immunitate gavisos fuisse vel il-lud argumento esse potest, quod usque ad Annum 1565. nulla apud eos Potta connumerata fuerit, Anno tamen 1575. earum 25. Anno vero 1577. 26. & Anno 1581. 27. sed Anno 1595. nonnisi 17. com-putatas fuisse ferunt.

Primos Patres famillias, qui ex Croatia in has regiones advenerunt, haecenus omnes detegere non potuimus, multos tamen eorum, & successores im-mediatos qui primo Saeculo, sive usque ad Annum 1600. vixerunt, operose erutos ordine alphabeti hic eo sine damus, ut ex primaevis nominibus orige gentis tanto facillius agnoscat. & ad historiam fa-milliarum migrationum, quibus belli Aerepitus, vel aliae violentae oppressiones plerumque occasionem praebent, nos quoque aliquid conferamus.

Banich Miko. Mart.

Barisich Tomka.

Boletich Ivan.

Benikovich Jura. Mikola.

Benisich Ivo, Miho Marke.

Berdar Mikula.

Berdarich Balas, Casp.

Ivan. Mikula. Toma.

Bileplevocz Ferontz Mart.

Biskupich Mats.

Boehich Ant.

Brosovich Mikula. Tomka.

Bekovich Andr.

Chanich Jura.

Cheperkovich Jura, Ivan.

Stansa. Stepan.

Černakovič Ivan, Miho,	Gorichky Casp.
Mikula.	Greznar Jura Ivo.
Čeremchich Ivo.	Gušch Balaz.
Črižanič Jura, Mart.	Gyrichich Mate.
Čvotich Miko.	Hajnik Mich.
Čvitalich Mikola.	Hayda Mart.
Čvitošich Andr, Luka,	Hergešich Toms.
Mate.	Horvátč Ivo, Jura, Lovre,
Demetrovich Jura.	Marko, Mate,
Domikovich Jurin, Ivan,	Mikula, Petar.
Lovre.	Horvatinovich Jura.
Domitrovich Mart.	Hrancharich Jura.
Dorotich Mart.	Hranšich Miko.
Dragovich Gergo.	Hvala Marko.
Drayšich Mart.	Jelirč Tomko.
Drasnyak Mikula, Pavun,	Jelešich Marko Mart.
Stansa.	Ilich Mate.
Fertalich Mikula.	Illyečh Andr.
Fichurich Mihel, Miho,	Irašich Mart.
Fistrovich Pavul.	Ivanchich Ivan, Vid.
Frankovich Petar.	Ivankovich, Iva Jankovich
Franyovecs Mikula Tomko.	Jura.
Fuchich Jura, Ivan, Luko,	Ivay Lovre.
Mikola, Vuč.	Ivčich Andr, Ivan, Marko,
Fuksch Mate.	Miho, Mikola.
Fukchich Ivan Luko, Mikula.	Jarinič Jura, Mikula,
Gafferich Marko.	Tomko.
Galinovich Pava.	Jerisko Joan.
Gardinovich Petar.	Karinovich Andr, Jura,
Členich Mikola.	Ivan, Marko.
Gerbichich Balaz, Mikula.	Katachich Andr, Petar.
Gergotich Mikula.	Klimogorecs Mart, Miho,
Geršich Tomko.	Tomko, Luko.
Grafnyak Pava.	Koledich Jura, Ivo, Luko,
	Mart, Pava, Toms.
	Kolinovich Casp Gergo,
	Mart, Pavun a).

a) Paulus Kolinovich primus hujus nominis & familiae, cujus memoria inter Senquicentales